Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cottidianum. quando ad illam satietatem venerimus. Dimitte nobis debita
nostra. Numquid in illo regno dicimus. quando debita non habebimus. Ne nos
inferas in temptationem. Numquid dicere tunc poterimus. quando erit nulla
temptatio. Libera nos a malo. numquid dicimus. quando nullum erit unde
liberemur. Quattuor ergo ista propter vitam nostram. cottidiana nobis neces
saria sunt. Tres vero ille propter aeternam. Sed omnia petamus ut ad illam perveniamus.
et hic regamur. ne ab illa separemur. Oratio cottidie vobis dicenda
est. qui baptizati fueritis. In ecclesia enim dei ad altare cottidie
dicitur ista dominica oratio. et audiunt illam fideles. Non ergo timemus ne minus
diligenter eam teneatis. quia et si quis vestrum non poterit tenere perfecte. au
diendo cottidie tenebit. Ideo die sabbati quando vigilaturi sumus
in dei misericordia. reddituri estis. non orationem sed symbolum. Modo enim nisi
teneatis symbolum in ecclesia. in populo symbolum non auditis. Cum
autem tenueritis. ut non obliviscamini. cottidie dicite. quando
surgitis. quando vos ad somnum collocatis. Reddite symbolum
vestrum. reddite domino. commemorate vos. vos ipsos non pigeat repetere.
bona est enim repeticio ne surrepat oblivio. Ne dicatis. dixi heri.
dixi hodie. cottidie dico. teneo illud bene. Commemora fidem
tuam. inspice te. sit tamquam speculum tibi symbolum tuum. vide
ibi te. Si credis omnia quae te credere confiteris. gaude cottidie in fide
tua. Sint divitiae tuae. sint cottidiana ista quodammodo indumen
ta tua mentis tuae. Numquid non quando surgis vestis. Sic et comme
morando simbolum tuum. vesti animam tuam. ne forte eam nudet
oblivio. et remaneas nudus. et fiat quod ait apostolus. quod absit a te
si tamen expoliati non nudi inveniamur. Vestiti enim erimus fide